

R.K.
415
41.

(X 187 7401)

702

II i
1963

DISSERTATIUNCULA PRIOR

De

LEGIONE FULMINAT'RI-
CE, AN ET QUOUSQUE

ΤΟΙΣ ΕΞΩ COGNITA FUERIT?

Qua

PLURIMUM VENERANDOS

D N N.

INSPECTORES,
OMNES ITEM ALIOS, CU-
JUSCUNQUE ORDINIS VI-
ROS ERUDITISSIMOS,

M. JOHANN. FRIDERICUS Köber /
ILLUSTRIS RUTHENEI RECTOR,

Ad benevolè auscultandum

DISCEPTATIONEM
ORATORIAM

De

IMPERIO SEU REGIMI-
NE PEREGRINORUM,

observanter admodum ac honorificè

INVITAT.

GERÆ, TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.





Ametsi à Christi discipulis prodigia & maxima & numero plurima fuisse edita, in actibus Apostolorum, quos Lucas Θεὸς ἑλεῖν ἔγραψε scripsit, legatur; ea tamen in Ethnicorum scriptis non multum celebrantur: sive quod nascentis tunc Ecclesiae primordia perquam obscura adhuc essent, sive quod, suspecta gentilibus, & ideo contemta, veluti evilescent & neglectui essent. Idem fatum satis iniquum & postea Ecclesiam Christi urfisse ac tantum non oppressisse, certum est. Sanè hoc nomine Suetonius Christianorum religionem appellasse *superstitionem novam & maleficam* videtur. (a) Et Lucianus, scurra ille, qui nec Diis pepercit, nec hominibus, (b) scribit, (c) Peregrino, postquam Christo dederat nomen, non mediocrem conciliasse auctoritatem, nec parvam peperisse famam prodigiorum sive effectricem vim, sive ostentationem & jaçantiam, quin, si quis praestigiator ac planus ad Christi partes transfret, multis eum opibus brevi locupletatum fuisse, (d) commemorat. Quibus verbis quid aliud facit δὺσφρημῶν ille & blasphemus, (e) quàm quod vim, quâ pollebant tunc Christiani, mirificam beneficiis tribuit & incantamentis? Cæterum nemo ignorat, eam virtuti vim divinitus esse collatam atque inditam, ut etsi prematur aliquamdiu, non tamen semper premi aut planè opprimi queat. Atque hinc fiebat, ut Porphyrius, Christianæ fidei desertor nefarius, & hostis ἀσπονδῶν, etsi pœnam, Ananiæ & Sapphiræ à Petro Apostolo illatam commemorans, trahat in calumniam, non tamen possit negare penitus. (f) Quorum alterum suam ipsi damnationem exaggeravit, nobis verò fidem, ut de veritate miraculi ne dubitemus, egregiè confirmavit. Sed misso nunc isto, de iis potissimum miraculis ac prodigiis commemorabo non nihil, quæ olim à Christianis in militiâ ortum traxere, ut constet, in quantum ea fidem apud gentilium Scriptores invenerint. Inter omnia verò primò commemorari loco debet insigne illud, quod M. Aurelio Antonino Imperatori, adversus Marcomannos & Quados pugnanti, accidit, cum Romano exercitui, angustiis locorum clauso, & aquæ penuriâ laboran-

(a) in Neron. c. 16. (b) ita Lactant l. de falsa relig. c. 9. (c) in Peregrin. (d) ita Dan. Huet. in Demonstr. Esang. citat. propos. III. quâ ostendit, Hist. in N. T. Veraces esse n. XIX. p. 17. (e) ita Suida dicitur.

boranti imbres de cœlo Christiani milites impetrarunt, copiis Barbarorum grandine & fulminum jactu obrutis. Id Marcus ipse Imperator literis suis, ad Senatum datis, publicè testatus est. Quæ verò ita habent ex codice Vaticano, si credendum Baronio: (g) Certiores vos feci de consilii propositique mei magnitudine, & quæ in Germaniâ mihi in discrimine atque obsidione, alia ex aliis acciderunt, cum in ejus mediò labore atque æstu confectus fuisset. Sanè dum Carnuti essem, speculatores nobis indicârunt, septuaginta quatuor hostium dracones (signa hæc erant militaria barbarorum) propè nos novem millibus adesse: idemque Pompejanus, quem bello ducem præfecimus, quod nos quoque videbamus, renunciavit. Cumque in nostrorum militum exercitu haberemus tantum legiones Primam, Decimam, Geminam & Fretensem, hostium verò nongentorum & septuaginta septem millia, measque ipsas copias cum ingenti barbarorum atq; hostium exercitu comparassem, Deos patrios votis susceptis rogavi. Sed cum ab eis negligerer, meque ab hostibus premi animadvertere, copiarum mearum paucitatem contemplatus, eos, qui apud nos Christiani dicuntur, accersivi ac rogavi, invenique magnam eorum multitudinem: illosque minis compuli, quod minimè decus erat, propterea quòd postea illorum vim ac potestatem cognovi. Itaque non ad telorum preparationem, non ad armorum, neque ad tubarum usum se contulerunt: hoc enim illis facere Dei causâ & nomine, quem in conscientia gestant, gratum non est. Æquum igitur est, ut, quos impios esse & à Deo alienos opinabamur, eos existimemus Deo munitos esse. Cum enim se humi projecissent, non solum precati sunt pro me, sed etiam pro toto hoc exercitu, ut famis ac sitis, quâ urgebamur, remedium aliquod afferretur. Quinque enim diebus aquam non sumseramus, quòd ea non suppeteret. Eramus enim in mediâ Germaniâ, montibus undique conclusi. Simul autem atque sese humi abjecerunt, ac Deum illum precati sunt, quem ego ignorabam, statim è cœlo pluvia delapsa est in nos quidem frigidissima, in Romanorum verò hostes grando, ignis specie ac similitudine, & fulmine, eorumque orationibus ac precibus statim præsto Deus fuit, qui neque vinci neque expugnari potest. Quamobrem illinc exorsi, concedamus talibus, ut sint Christiani, ne qua arma ejus generis contra nos petant & impetrent. Censeo autem, neminem, quod Christianus sit, esse in crimen & in iudicium vocandum. Quod si quis inventus fuerit crimini dare cuiquam, quod Christianus sit, ei quidem, qui in crimen vocatur, ma-

A 2

nife-

(f) ap. Hieron. Epist. ad Demetriad. de Virg. ser. c. 7. & Euseb. Præp. Evang. l. 5. c. 1. (g) ad Ann. Christi 176. n. XXII.

nifestum fieri volo, si nihil aliud obiectum est, quam quod Christianus tantum,
dimitti, eum autem, qui Christianum accusarit, vivum exuri: illum vero,
qui Christianum se esse professus fuerit, periculo omni, quod ob eam rem ei
intendebatur, liberatum. Is, cui provincia commissa est, nequaquam ad
poenitentiam adigat, aut libertatem ei adimat. Hec autem S. C. etiam san-
ciri volo, atque hoc meum edictum in foro D. Trajanam proponi, ut legi possit.
Cur e autem erit Vetrasio Pollioni, Praefecto Urbis, ut ad omnes provincias hac
constitutio mittatur, neque quisquam, qui eam exscribere, vel ipsanti volue-
rit, prohibeatur. Valete. Haec tenus ipsa illa litera, quos ad Sena-
tum Romanum de miraculo exercitus Christiani Aurelianus
perscripsisse putatur; in quibus sane & de re ipsa exponitur pro-
lixè, & immunitas Christianis ea conceditur, quam vix alius
Imperatorum largitus fuit temerè. Jam id quidem certum est,
nec negari ullò modò potest, extitisse quondam huiusmodi epi-
stolam; quod & multi veterum fide non indigni testantur. Ter-
tullianus sane, Patrum facile doctissimus, ita scribit: (h) De tot
Principibus ad hodiernum (Severum, sub quò Afer ille vixit) divinum
humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. At
nos è contrario edimus protectorem: si litera M. Aurelii, gravissimi Impera-
toris requirantur, quibus illam Germanicam suam Christianorum forte mili-
tum precationibus impetrato imbre discussam contestatur. Qui sicut non pa-
lam ab eiusmodi hominibus poenam dimovit, ita alio modo palam disperfit,
adjecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore. Quae omnia
fatis exprimunt, quamvis breviter, quae in epistolâ diductiore,
stilo comprehenduntur. Idem eandem hanc rem tanquam vul-
gò cognitam & inter Romanos invulgatam recenset, in libello
nimirum supplici ad Scapulam, Africae tunc Praefidem. (i) Dein-
de Eusebius, candidissimus Scriptor, in Chronico (k) ex versione
Hieronimi hoc rei isti perhibet testimonium: Imperator Antoni-
nus, multis adversum se nascentibus bellis saepe ipse intererat, saepe duces nobi-
lissimos destinabat. In quibus semel Pertinaci & exercitui, qui cum eò in Qua-
dorum regione pugnabat, sui oppresso, pluvia divinitus missa est: quum è con-
trario Germanos & Sarmatas fulmina persequerentur, & plurimos eorum in-
terficerent. Extant litera M. Aurelii, gravissimi Imperatoris, quibus il-
lam Germanicam suam Christianorum forte militum precationibus impetrato
imbre

(h) Apologet. c. 5. (i) c. 4. (k) ad annum Marci XIII.

imbre discussam contestatur. Quæ postrema verba non dubitamus Hieronymum ex antè laudato Tertulliani loco mutuo accepisse, & in rem transtulisse suam; quod ex facili patebit ὁ ΦθελμοΦα-
 vōς, si quis ea conferat invicem, & vellevi obtutu inspiciat. (l) Ab eodem Eusebio eadem historia prolixius tradita legi potest in Historia ejus Ecclesiastica, (m) in quâ & ab illis, qui alieni sunt à no-
 strâ doctrinâ, & à nostris hanc rem recensitam scribit. Provocat i-
 bidem ad Apollinarium, vel potius Apollinarem Hieropolita-
 num Episc. qui legionem illam, cujus precibus factum fuerat hoc miracu-
 lum, ex eo tempore peculiarem ab Imperatore appellationem, ut Romana lin-
 gua Fulminea vocaretur, accepisse dixerat. Et hunc omninò simile
 vero est (n) ex miraculi recensione apud illum Imperatorem cau-
 sâ Christianæ patrociniū tunc suscepisse in apologiâ, quam ab
 ipsò scriptam Eusebius tradit alibi. (o) Porro etiam Orosius, scri-
 ptor utique bonis annumerandus, quamvis non quidem primis,
 ut censet ὁ κριτικώτατ C. Barthius, (p) Orosius igitur ille, post-
 quam de militum Christianorum miraculo narraverat, quæ an-
 tea ex chronico Eusebiano fuerunt adducta, subjungit tandem:
 (q) *Extare etiam nunc a quod plerosq, dicuntur literæ Imperatoris Antonini,*
ubi invocatione nominis Christi per milites Christianos & sitim illam depul-
sam, & collatam fatetur fuisse victoriam. Rei gestæ seriem ordine quo-
 que commemorat Patrum non postremus Gregorius Nyssenus:
 cujus verba apud Baronium (r) legi potius, quàm hoc loco
 velim. Eadem illa Μάρτυρ βασιλέως Ἰπρισολῆ etiam propè finem
 Apologetici posterioris apud Justinum occurrit, (s) quæ, si ge-
 nuina esset, dubio procul fons esset, unde cum Tertulliano reliqui
 omnes, qui ad hunc Afrum provocant, haufisse sua dicendi fo-
 rent: illis enim omnibus antiquior est Justinus, & huic demum
 suppar Tertullianus. Cæterum ex his, quæ dicta sunt, ad ocu-
 lum cuivis patet, omnes istas Patrum narrationes niti epistolâ
 Imperatoriâ, ad Senatum Rom. scriptâ: ut adeò, quid de eadem
 statuendum sit, non immeritò sollicitius quærat. Sanè non
 parum ea venit jampridem apud cordatiores in ambiguum, pro-
 ut in Justini apologiam irrepsit, & ex Baronio jam suprâ excrí-
 pta fuit; & facile hinc assentimur iis, qui genuinam eandem esse,
 A 3 dubi-

(l) Vid. Dn. D. Kortholti comment. in Justin. f. 64. (m) lib. V. c. 5. (n) ita con-
 jicit laudat. Huetius l. c. (o) lib. IV. Hist. Eccl. c. 6. & 7. (p) lib. XXXVI. Ad S.
 c. 17. (q) lib. VII. Histor. c. XV. (r) l. c. n. XIV. sqq.

dubitant. (s) Sufficiat Josephi Scaligeri, Herculis illius Musarum celeberrimi, quippe qui instar omnium esse potest, eruditissima censura. Ita verò ille: (t) *illa Epistola, que nomine Marci Aurelii Antonini super hac re ad calcem Apologetici posterioris apud Justinum legitur, tantum abest, ut ab ipso Imperatore Græcè dictata, aut ex Latino ipsius in Græcum sermonem translata sit, ut infra seculum Justiniani Imp. ab imperitissimo rerum Romanarum Græculo confictam fuisse, manifestè appareat.* Perspicuis idem &, ut solet, accuratis suæ sententiæ veritatem stabilitum it argumentis: quæ nunc adferre non licet. Quod autem verè aliqua ab Imperatore eâ de re scripta quondam sit epistola; de eò dubitare nos non finit tot sanctorum Patrum, qui ad illam provocant, auctoritas, & à quibus, *tanquam veritatis amicis simpliciter & candide, quod gestum est, traditur;* ut candide dubio procul scribit optimus Historicus Ecclesiæ, Eusebius. (u) Et quis eos aut tam vanitati mendaciorum deditos, aut tam temerariè audaculos dicat, ut de epistolâ, quæ nunquam extiterit, ad Gentiles, imò ad ipsos Imperatores, fecerint mentionem? Id profectò facere non essent ausi vel Apollinaris vel Justinus, vel Tertullianus, si res dubia fuisset aut literæ suppositæ. Eusebius & Orosius extare illas suâ cujusque ætate ex aliorum quidem fide narrant; at Hieronymus in interpretatione Eusebiani Chronici, non ex aliorum relatu, sed, velut rem sibi compertam, asseverat; ut præclarè differit doctissimus Gallorum, Daniel Huetius. (x) Et ne quis arbitretur, rem ita dubiam relinqui, aut ad minimum non satis sufficienter probatam, quæ apud veteres celebratur, de Legionem fulminatrice; age videamus, numquid ejus apud Historicos τὰς ἐξω occurrat, qui de eadem ætate scripserunt, & confirmatum adeò ire possunt, quæ in epistolâ Aureliana de expeditione contra Marcomannos & Quados recensentur. Utinam verò Dio Cassius, qui & Coccejus sive Coccejanus dicitur, (y) extaret integer, eademque diceret, quæ apud Xiphilinum hodie legimus. Hic enim parum abit ab iis, quæ in epistolâ Aurelii spuria, quam diximus, hodie extant. (z) Vereor illius adducere verba, cum ex suspitione admodum gravi laborent, quia, ut rectè judicat diligentissimus Jo. Leunclavius, (aa) præ-

(s) Vid. Rupert. obser. in Besold. p. 330. (t) animadv. Euseb. n. MMC. LXXXIX.
 (u) l. s. c. s. (x) l. c. (y) Voss. de Hist. Gr. l. 2. c. 15. p. 193. (z) Vid. Dion. Hist. Rom. l. LXXI. ex ed. Leunclavii p. 811. (aa) præf. in Dion.

postero suo consilio vel ausu potius temerario fecit Xiphilinus, ut, dum suas obtusit imperitas ineptias, integri Dionis libri negligenterentur. Qui idem non prater rem conjicit, nugas esse monachicas, quæ proponit Xiphilinus; nam ex isthòc hominum genere hunc omninò fuisse credit; unde non immeritò optat: *utinam quidem Xiphilinus ab excerpando manum abstinuisset!* Hic verò cum feculo demum undecimo post Christum, mundo editum, (bb) scripserit; quis ipsi vetustiora illa adeò accredat? Quocirca consulendus nobis nunc venit Julius Capitolinus, qui ipse inter eos numeratur à Flavio Vopisco, qui sua non tam disertè, quàm verè memoriæ tradiderunt. (cc) Sic autem ille: (dd) *Fulmen de cælo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluviâ impetratâ, cum siti laborarent. Voluit Marcomanniam, provinciam, voluit etiam Sarmatiam facere.* Fulminum hîc pariter & pluviæ & fitis fit mentio, ut & Marcomanniæ, de quibus etiam laudati antè Scriptores sacri commemorarunt; ut adeò dubium non sit, quin ad eandem hanc Historiam respiciat Capitolinus. Tantùm Christianorum reticetur nomen, quos tamen facinus patrâsse admirandum, & Romanis maximè tunc salutare & commodum, nostri tradunt. Ejusdem belli Marcomannici recenset summam Eutropius; (ee) de fulminibus autem, pluviâ & reliquis admirandis nihil omninò verborum facit: ut vel hic locus, eum alienum fuisse à Christianâ fide, & invidiâ Christianorum atque odiò delirâsse, fatis certo indicio sit; ut alia taceamus, quæ ab aliis docentur. (ff) Nam ethnici, si quæ bona fecerunt Christi alumni, aut omninò tacent nefariè, aut suggillant invidiosè, aut levi brachio, tanquam res parvi momenti, superciliosè tangunt. Ex gentilibus ergò unicus restat Cl. Claudianus, Poëtæ prægloriosissimi cognomen meritis, qui gentilis fuit, & quidem pervicax admodum, ut ex Augustino & Orosio constare dicit doctissimus Vossius. (gg) Is verò de pugnâ fulmineâ ita canit: (hh)

*Laus ibi nulla Ducum: nam flammeus imber in hostem
 Decidit: hunc dorso trepidum flammante ferebat
 Ambustus sonipes; hic tabescente solutus
 Subsedit galea, liquefactaque fulgure cuspis* Can.

(bb) Helvic. in Theatr. f. 127. eundem refert ad A. C. 1064. prater propter.
 (cc) in Probo c. 2. (dd) in M. Ant. Philos. c. XXIV. & Obrechtii. (ee) lib. IIX. c. VI. (ff) Vid. Voss. de Hist. Latin. l. 2. c. 8. (gg) de Poëtis Lat. c. 4. (hh) de WL. Cons. Honor. & 342. sqq.

*Caeruit, & subitis fluxere vaporibus enses.
Tunc contenta polo mortalis nescia teli
Pugna fuit. Chaldaea mago seu carmina ritu
Armavere Deos, seu, quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.*

Ita ille; ex cujus verbis, loligine quantumvis ethnica infectis, nihilominus scintillulae veritatis aliqua micant. Vellem ipsa lubentia lubentius de tota re exactius censere, & videre adeo, tum cui miraculum istud tribuendum ex merito fit, tum de appellatione, qua legio fulminatrix celebrata fuit: sed iniquo exclusum spacio, in aliud tempus reservare reliqua oportet. Quocirca nunc de eo dicendum restat, cujus potissimum gratia haec suscepta fuit scriptio & opella. Nempe cras, DEO feliciter annuente, post sacra usitata pomeridiana, cathedram conscendent tres Sympalæstritæ, Adolescentes optimi, *de Peregrinorum Imperio disceptaturi.* Hoc igitur *improbare* pro virili studebit JONAS Schmid / NEOSTADIENSIS; *approbabit* contra argumenta illius confutaturus SEBASTIANUS Gebhard / LOESNICENSIS MISNICUS: totam verò *controversiam* decidet HEINRICUS CHRISTIANUS Schleicher / GLAUCHA-MISNICUS. His se adjungens THEODORUS Ufermann / AUMA-VARISCUS, & *πονηρὸν ἔκκωμα*, Græcam de promptâ memoriâ recitabit oratiunculam ex illo Bionis: τὸ χρόνον πολυτελέστατον ἀνάλωμα, *jactura temporis inestimabilis.* Ut igitur isti omnes cum à PLURIMUM VENERANDIS DNN. INSPECTORIBUS, tum & ERUDITISSIMIS ALIIS MUSARUM FAUTORIBUS ET CONSECRANEIS benevolè audiantur; id verò est, quod vehementer etiam atque etiam rogamus. Non intermitteremus, quacunque id ratione fieri poterit, ipso præstare opere, noluisse nos in tantam benevolentiam ingratos mori. P.P. Geræ pridie Eid. Novembr. A. O. R. ∞ Ipc LXXXIV.



1596



quod
& neg
fiam C
hoc ne
perstiti
ille, q
grino
ciliâff
rum f
quin,
multi
Quib
(e) qua
venefi
eam v
prema
primi
dei de
Sapph
calum
terum
de ver
mifô
memo
traxer
ptores
co deb
adver
mano

(a) in
2



prodigia & maxima &
, in actibus Apосто-
& scripsit, legatur;
riptis non multum
centis tunc Ecclesiæ
adhuc essent, five
a, veluti evilescent
vum & postea Eccle-
e, certum est. Sanè
tionem appellâsse s
Et Lucianus, scurra
(b) scribit, (c) Pere-
on mediocrem con-
se famam prodigio-
em & jactantiam,
risti partes transfret,
se, (d) commemorat.
ille & blasphemus,
christiani, mirificam
rum nemo ignorat,
que inditam, ut etfi
premi aut planè op-
yrius, Christianæ fi-
si pœnam, Anania &
morans, trahat in
s. (f) Quorum al-
nobis verò fidem, ut
è confirmavit. Sed
s ac prodigiis com-
nis in militiâ ortum
oud gentilium Scri-
nô commemorari lo-
ntonino Imperatori,
ti, accidit, cum Ro-
, & aquæ penuriâ la-
boran-

(c) in Peregrin. (d) ita
quâ ostendit, Hist. in N.

